



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM **LITTERAE DECRETALES CUM IESU** QUIBUS BEATO IOANNI GABRIELI PERBOYRE

SANCTORUM HONORES DECERNUNTUR Cum Iesus, Dei Filius, suam caritatem ostenderit, suam pro nobis tradendo vitam, «maiores hac dilectionem nemo habet, ut animam suam quis ponat pro amicis suis» (Io 15, 13: cfr. 1 Io 3, 10). Beatus Ioannes Gabriel Perboyre sua in vita suaque in morte hanc Christo conformationem mirabiliter egit. In Francogallia anno MDCCCII in oppido quodam, quod Puech de Montgesty appellatur, a ferventi familia ortus, quae Ecclesiae tres missionarios S. Vincentii, duas Filiarum Caritatis sodales, carmelitanam sororem atque duos coniuges christianos dedit, seminarium ingressus est, primo Aloisium fratrem tantum ut comitaretur. Sed loci natura eius animum rapuit. Se ad sacerdotium omnino vocari intellexit. Anno MDCCCXVIII Congregationi Missionis nomen dedit atque Lutetiae Parisiorum die XXIII mensis Septembris anno MDCCCXXVI sacerdos est renunciatus. Praestantia officiosaque munera in institutionibus provincia sustinuit. Molliore animo vir, Aloisii fratris morte valde affectus est, qui, Sinas petens missionarius, in itinere vitam amisit. Lutetiam Parisiorum accessit novitiorum veluti alter a magistro, postulavit ut ad gentiles mitteretur. Complures de eius valetudine dubitabant, sed licentiam abunde obtinuit et mense Martio anno MDCCCXXXV navem in portu apud Le Havre conscendit. Postquam ad Macaum appulit, tempore quodam transacto accommodationis, Sinensis cuiusdam lumens speciem, ad Henam provinciam profectus est, cui destinatus erat. Continuo ministerium apostolicum inchoavit, christianos invisendo in parvos pagos dispersos. Per magno animorum studio eminebat, nominatim dilectione in pauperes. Pauper cum pauperibus vitam exiebat, quibus peculiariter favebat. «Proximus pauperibus» factus est: «Cum catechistam medicum me comitantem de morborum tot hominum causis interrogabam, semper respondebat: eadem est causa, famis et rerum penuria. Silens tunc iter producebam, conscientiae angore agitatus, cum viverem et cum illis mori non possem». Antequam carnificis crucem conscenderet, pauperum crucem ascendit. Caritate cruci affixus est antequam persecutione. S. Vincentii cum esset discipulus quem filiali more diligebat, Christus patiens in eius vita principem obtinuit locum, Crucis Homo. Ex eo quod fortasse institutio nihil detraxerat laboris, intellexit prorsus quid sibi vellet pati. In primis illis denotanda est martyrii intentio. Ioannes Gabriel cupisse videtur martyrium. In epistula quadam parentibus missam haec est fassus: Nonnullos labores ac poenas pati debemus, sed ubique ea sunt, exinde caelum frontis sudore merere debemus. Si martyrium pateremur, magna esset gratia a Deo data: res haec est petenda, haud timenda». Anno MDCCCXXXIX inopinato militum adventu aggressus est. Bonus pastor vigilare ex propinquo gregem suum contendit, in vicinia se abdens. Captus est atque longa series iudiciorum incepit, saepe cum tormentis. Effecerunt ut a fide deficeret, eum propter religionem illuserunt, ut crucifixum proculcarent eum concitarunt. Capitis tandem est condemnatus. Ioannes Gabriel in loco Wuhan martyrium subiit, in patibulo quodam, speciem crucis praebente, die XI mensis Septembris anno MDCCCXL iugulatus est. Eius reliquiae in Francogalliam anno MDCCCLX delatae sunt, domum scilicet principem Lutetiae Parisiorum Congregationis Missionis.

Verus fidei martyr cum haberetur, incohata sollicite est canonizationis causa atque his peractis rebus lure statutis, inter Beatos a Leone XIII die X mensis Novembris anno MDCCCLXXXIX est relatus. Die VI mensis Aprilis anno MCMXCV Nobis coram decreto de sanatione quadam divinitus patrata, ipso Beato intercedente, prodiit. Consistorio habito die XXIX mensis Ianuarii anno MCMXCVI, statuimus ut canonizationis ritus die II mensis subsequentis Iunii celebraretur. Hodie igitur apud Basilicam Sancti Petri, inter sacra hanc elocuti sumus Canonizationis formulam: Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatos Ioannem Gabrielem Perboyre, Aegidium Mariam a Sancto Ioseph Pontillo et Ioannem Grande Roman Sanctos esse decernimus et definimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes eos in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Quod autem decrevimus volumus et nunc et in posterum vim habere, contrariis minime officientibus rebus quibuslibet. Datum Romae apud S. Petrum, die secundo mensis Iunii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo sexto, Pontificatus Nostri duodevicesimo. EGO IOANNES PAULUS II
Catholicae Ecclesiae Episcopus Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.* © Copyright 1996 - Libreria Editrice Vaticana